



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. LV. De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

C A P. L V

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ.

Gen. 1. **D**O M I N E Deus meus, qui me
creasti ad imaginem & simili-
tudinem tuam, concede mihi hanc
gratiam, quam ostendisti tam ma-
gnam, & necessariam ad salutem: ut
vincam pessimam naturam meam, tra-
hentem ad peccata & in perditionem.

Rom. 7. Sentio enim in carne mea legem pec-
cati, contradicentem legi mentis meæ,
& captiuam me ducentem ad obe-
diendum sensualitati in multis: nec
possum resistere passionibus eius, nisi
assistat tua sanctissima gratia, cordi
meo ardenter infusa.

2 Opus est gratia tua, & magna gra-
tia: ut vincatur natura, ad malum sem-
Gen. 8. per prona ab adolescentia sua. Nam
per primum hominem Adam lapsa, &
vitiata per peccatum, in omnes homi-
nes pœna huius maculæ descendit: ut
ipsa natura, quæ benè & recta à te
condita fuit, pro vitio iam, & infir-
mitate corruptæ naturæ ponatur, eò
quod

quòd motus eius sibi relictus, ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis, quæ remansit, est tamquam scintilla quædam latens in cinere. Hæc est ipsa ratio naturalis, circumfusa magna caligine, adhuc iudicium habens boni & mali, veri falsiq; distantiam, licet impotens sit adimplere omne quod approbat, nec pleno iam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur.

3 Hinc est Deus meus, quòd con- *Rom. 7.*
delector legi tuæ secundùm interiorem hominem, sciens mandatum tuum fore bonum, iustum & sanctum, arguens etiam omne malum, & peccatum fugiendum. Carne autem seruio legi peccati, dum magis sensualitati obedio, quàm rationi. Hinc est, quòd velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Hinc sæpè multa bona propono, sed quia gratia deest ad adiuuandum infirmitatem meam, ex leui resistantia resilio & deficio. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnosco, & qualiter agere debeam, clarè satis video: sed propriæ corruptionis pondere pressus,

pressus, ad perfectiora non assurgo.

4 O quām maximē est mihi neceſſaria, Domine, tua gratia, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & *Ioan. 15.* ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere: omnia autem possum in te, confortante me gratia. O verē cælestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda! Nihil artes, nihil diuītiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo: nihil ingenium vel eloquentia, valent apud te Domine sine gratia. Nam dona naturæ, bonis & malis sunt communia: electorum autem proprium donum est gratia siue dilectio, qua insigniti, digni habentur vita æterna. Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio, aliquid aestimetur sine ea. Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes, tibi acceptæ sunt sine charitate & gratia.

1. Cor.
13.

5 O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus diuitem facis: & diuitem multis bonis, humilem corde reddis. Veni descendea ad me, reple

reple me manè consolatione tua , ne
deficiat præ lassitudine & ariditate
mentis anima mea. Obsecro Domine,
ut inueniam gratiam in oculis tuis:
sufficit enim mihi gratia tua , ceteris
non obtentis , quæ desiderat natura.
Si fuero tentatus & vexatus tribula- *Pf. 22.*
tionibus multis , non timebo mala,
dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa
fortitudo mea , ipsa consilium con-
fert & auxilium. Cunctis hostibus
potentior est , & sapientior vniuersis
sapientibus.

6 Magistra est veritatis, doctrix di-
sciplinæ, lumen cordis, solamen pres-
suræ, fugatrix tristitiae, ablatrix timo-
ris, nutrix deuotionis, productrix la-
chrymarum. Quid sum sine ea , nisi
aridum lignum, & stips inutilis ad eii-
ciendum? Tua ergo me Domine gra-
tia semper præueniat , & sequatur, ac
bonis operibus iugiter præstet esse in-
tentum, per Iesum Christum filium
tuum. Amen.

CAP.